

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 3422

**Auteur(s) :** Foulques Paynel [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Raoul des Feugrès [autre]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1231, mars

**Action juridique :** notification

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Foulques Paynel fait savoir que Louis [IX], roi de France, a remis à Raoul des Feugrès, neveu de Foulques, toute sa terre en Normandie et que pour cela Raoul a rendu l'hommage lige au roi.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 374, p. 59.

## Dissertation critique

Pâques tombe le 7 avril en 1230 et le 23 mars en 1231.

Texte établi d'après a

Ego Fulco Paganelli notum facio universis ad quos presentes littere pervenerint, quod karissimus dominus meus Ludovicus, Rex Francorum illustris, Radulpho de Filgeriis nepoti meo reddidit terram suam de Normannia, quam in manu sua tenebat idem dominus Rex, et pro eadem terra fecit idem Radulphus eidem domino Regi homagium ligium, sicut feodum apportat, ad usus et consuetudines Normannie. Preterea quoniam a prelati et baronibus regni Francie erat iudicatum, quod Petrus, quondam comes Britannie, propter ea que meffecerat contra eundem dominum Regem, amiserat per jus ballum Britannie, et quod omnes qui ei fecerant fidelitatem vel homagium, ratione dicti balli, nichil pro eo, ratione ejusdem balli, facere tenebantur, idem Radulphus nepos meus, ad eundem dominum Regem accedens, fecit ei homagium ligium de Fougeriis, et de omnibus que tenere solebat a dicto .p. quondam comite Britannie, salvo jure heredis Britannie, quando venerit ad etatem viginti et unius annorum, dum tamen tunc faciat domino Regi dictus heres quod facere debebit. Tradidit etiam eidem domino Regi idem Radulphus castrum de Fougeriis, ad ponendum ibi garnisionem suam, si velit dominus Rex, et ad guerreandum regem Anglie, et dictum .p. quondam comitem Britannie, et suos, ita tamen quod, si treuga caperetur inter dominum Regem et Regem Anglie et dictum .p. quondam comitem Britannie, idem Radulphus rehaberet dictum castrum, et, si guerra iterum moveretur, idem Radulphus domino Regi traderet dictum castrum, salvo eo quod dictum est de herede Britannie supradicto. Dominus autem Rex in dicto castro Fougeriarum ponet, si voluerit, garnisionem suam sive magnam sive parvam, prout viderit opus esse, cum consilio Andree domini Vitreiaci. Tenebit etiam dominus Rex eidem Radulpho ad denarios suos usque ad tringenta milites de militibus dicti Radulphi, quamdiu guerra domini regis durabit usque ad etatem predicti heredis Britannie, vel in dicto castro vel ubi dominus Rex viderit expedire. Et idem Radulphus, si voluerit, erit in garnisione dicti castri, ita tamen quod gentes domini Regis, si ei placuerit, potestatem habeant ejusdem castri. Si etiam domino Regi placeret eidem Radulpho, durante guerra,

tradere dictum castrum, ipse illud ad servicium domini Regis bene et fideliter servare teneretur et inde inimicos ejus guerreare. Idem autem dominus Rex eidem Radulpho concessit, quod nec pacem nec treugam faciet per quam idem Radulphus ad homagium vel servicium Regis Anglie vel dicti .p. revertatur. Si etiam idem castrum obsideretur a Rege Anglie vel a dicto .p. quondam comite Britannie vel suis, dominus Rex tanquam feodo suo succurret. Omnes autem conventiones predictas juravit super sancta dictus Radulphus se firmiter servaturum. Juravit etiam quod bene et fideliter serviet domino Regi, et quod fortercias suas tradet domino Regi vel mandato suo ad magnam vim et parvam, quociens a domino Rege vel mandato suo super hoc fuerit requisitus, salvo eo quod dictum est de herede Britannie supradicto. Debet etiam idem Radulphus domino Regi facere haberi juramenta militum totius terre sue. Quod si idem Radulphus defecerit in aliqua predictarum conventionum observanda, ipsi ad dominum Regem se tenebunt, donec id fuerit emendatum. Super predictis etiam conventionibus, quibus ego ipse presens interfui, ab eodem Radulpho firmiter observandis, ego pro eodem Radulpho erga dominum Regem me plegium obligavi, manu capiens super totum illud quod teneo de eodem domino Rege, quod predictus Radulphus conventiones premissas fideliter et firmiter observabit, ita quod, si idem Radulphus defecerit in aliqua predictarum conventionum observanda, dominus Rex ad totum illud quod teneo de ipso sine se meffacere poterit assignare. In cujus rei testimonium, presentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Actum apud Athies, anno Domini M° CC° tricesimo, mense martio.